



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXXIII. Continuatio ejusdem Argumenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

Præterea observa, simili modo Christum ac Deum per Gratiam suam Sanctificantem, vel Auxiliantem sæpe in Animam nostram non manifestè, sed quasi occulto venire; quia id melius sæpe est & utilius.

MEDITATIO CCCXXXIII

Continuatio ejusdem Argumenti.

LUC. 9. V. 51.

PUNCTUM. I. *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum: & venientes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi.* Describit hîc S. Lucas tempus, & ipsam profectio- nem in urbem Jerosolymam per Samariam, cuius profectio- nis etiam mentionem facit S. Matthæus c. 19. v. 1. & S. Marcus. c. 10. v. 32. Nempe cum complerentur, & jam ad ultimos sex menses pervenissent dies Prædicationis Christi, post quos crucifigendus, & deinde in Cælum assumendus erat, obfirmavit animum, & vultu spiravit generositatem, quâ urbem Jerosolymam, tanquam locum imminentis Passio- nis suæ (ubi teste Joan. c. 7. v. 10. *Quærebant eum Judæi interficere*) cum Discipulis suis adibat, quâmp- etiam gressûs celeritate prodebat, ut Marcus indicat c. 10. v. 32. *Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, & precedebat illos JESVS, & stupebant, & sequentes in- mebant. Et assumens iterum Duodecim, cepit illis dice- ua essent ei eventura.* Sic quò magis vitæ fini appro- quinquamus, eò firmiori animi proposito, constantia palacritate, Cælesti Jerusalem appropinquare, &

lios Virtutis studio, ac adversa patiendi desiderio, præire & superare debemus, atque ad hoc ipsum sine remissione animi nos frequenter & constanter excitare, & faciem obfirmare, atque opere ipso desiderium nostrum demonstrare.

PUNCT. II. Considera, quoties & quales nuncios DEVS tibi miserit, volens per Gratias speciales, & extraordinarias Animam tuam subire, & locum sibi parari. Hujusmodi nuncij sunt externæ admonitiones per homines, & per Libros, internæ Inspirationes, Beneficia, adversa, promissiones, comminationes &c. Quoties autem hujusmodi nuncijs repellam dedisti, & Samaritanis accessisti, de quibus scripsit Luc. 9. v. 53. *Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Jerusalem?* Samaritani quidem (utique non illi, qui ante duos annos in urbe Sichar Joan. 4. v. 40. *Rogaverunt eum, ut ibi maneret*) ideo Christum non receperunt, quia videbant eum cum suis pergere Jerosolymam Adorationis causâ; quod ægrè ferebant propter controversiam cum Judæis, cujus olim decisionem mulier Samaritana à Christo rogabat Joan. 4. v. 20. *dicens: Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis: quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Tu autem alias tuas causas examina, quare DEVM toties ad te mittentem nuncios, non recipias: illas proinde remove.

PUNCT. III. *Cum vidissent autem Discipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis: Dicimus, ut ignis descendat de Cælo, & consumat illos? Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis, cujus Spiritus estis. Filius hominis non venit Animas perdere, sed salvare. Et abiérunt in aliud castellum.* Luc. 9. v. 54. An non & tu sæpe contra

R 5

alios

alios moveris Zelo Honoris Divini vindicandi, sed non secundum Scientiam, & Discretionem? Sæpe enim volumus aliorum delicta graviter puniri, & illos severè haberi, & nostra volumus nobis indulgenti Spiritus Christi non est Spiritus Eliæ, ignem è Cælo evocantis, sed est Spiritus Mansuetudinis. Nimirum rigor perdit Animas; Clementia salvat. Dilce Christo, quia Mitis est. Disce repullam patienter ferre. Disce cedere tibi adversantibus, quos vincere, aut cogere, aut de quibus vindictam sumere posses.

MEDITATIO CCCXXXIV.

Decem Viri Leprosi in itinere

sanantur. Luc. 17. v. 11.

PUNCTUM I. *Et factum est, dum irent in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & levaverunt vocem, dicentes: JESU Præceptor miserere nostrî. Considera, quod lepra est corpori, id peccatum esse animo; nam peccatum longè receditur à DEO, & DEVS longè recedit à peccatore, desinens inhabitare ejus animum per Gratiam (quâ DEVS, qui Charitas est, diffunditur in cordibus nostris) & assistere per auxilia Gratiæ actualis. Unde necesse est levare vocem, & ex Corde perfectè Contrito cum magno Devotionis conatu clamare: JESU Præceptor miserere. Imò & peccata venialia Animæ lepra sunt; quemadmodum enim hæc, sic non*